


mm  
14  
folios



*Ja. 15.*

9

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
*DE*  
**LACTIS SUSPECTA  
PRÆSENTIA IN INNUPTIS,**

*ad Hippoc. Sect. V. apb. 39.*

Wie weit man sich in Criminalibus auf diese Observation  
zu berufen habe;

*Quam*

AUSPICE DEO PROPITIO,

*Et Consensu atque Autoritate Gratissime Facultatis Medicae,*

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R A E S I D E

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**

SACR. MAJ. REG. PORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.

CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE

PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono ac Promotorre suo, omni honoris cultu prosequendo,*

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DO-  
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONVENTIS

ANNO MDCCXLII. D. AUGUST.

*Publicæ ac placida Eruditorum ventilationi subiectæ*

RESPONDENS

**CHRISTIANUS MAURITIUS ENGEL,**

ROCHLITZIO - MISNICUS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

ATCITPGRHOC  
TACITPGRHOC

DICARO THERI

ATCITPGRHOC

DICARO THERI

ATCITPGRHOC

ATCITPGRHOC

NEC NON  
ILLUSTRI O F R V  
EXCELENTISSIMO  
V T R O  
ILLUSTRI, EXCELENTISSIMO,  
CONSULTISSIMO,  
DOMINO;  
DN. CAROLO GOTTFRIED  
WEIDLICH,  
DYNASTAE IN NEUKIRCH,  
POTENTISSIMI POLONIARUM REGIS ET  
PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE A CONSLIIS  
AULAE JUSTITIAEQUE,

NEC NON

V I R O

EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO,  
CONSULTISSIMO,  
D O M I N O,

D N C A R O L O E R D M A N N  
W E I D L I C H ,

SACRAE REGIAE MAJESTATIS POLONIA-  
RUM VECTIGALIUM PUBLICORUM EX CON-  
SUMTIS ET JURUM PRAEFECTO,

A V U N C U L I S E T P A T R O N I S S U I S  
S U M M O P E R E C O L E N D I S V E N E R A N D I S

H A N C D I S P U T A T I O N E M I N A U G U R A L E M

C U M P E R P E T U A E F E L I C I T A T I S V O T O

O F F E R T , D E D I C A T

D E V O T I S S I M U S C L I E N S

C H R I S T I A N U S M A U R I T I U S E N G E L .

VIRI ILLUSTRI ET EXCELLENTISSIME!

**A**Cademis valedicturus, more a majoribus tradito, immunitatem amissam sanitatem legitime restituendi, praesentemque provide tuendi ambire constueram. Adibam igitur Gratiofissimum Medicorum Ordinem, qui mihi, ut in optatis erat, potestatem ac veniam in publicum prodeundi, ac Summos in Medicina honores capessendi largitus est. Hujus rei gratia Disputatio praesens inauguralis praelo subiecta fuit, quam VOBIS VIRI ILLUSTRI & EXCELLENTISSIME sacram esse jubeo. Exoptatissimam hanc occasionem VOBIS animum meum devinctissimum publice testificandi magno sane cum animi oblectamento arripio. Vos enim, cum tristia parentis fata eaque prematura luctu me acerbissimo fere opprimerent, animum languentem refocillastis, Patrisque beatæ memoriæ vices ita supplevistis, ut dubius certe heream, cui magis debeat, illi, qui mihi vitam dedit, an VOBIS qui mihi vitam benignam præstistis, rationemque recte vivendi subministrastis. VESTRIS enim & auxiliis & consiliis adjutus in scientiam medicam incumbere mihi datum fuit, ita ut confidam, me hac ratione generi humano in posterum non plane inuti-

inutilem futurum esse. Fateor autem non ideo V E S T R I S  
N O M I N I B U S me hoc opusculum, quod jure optimo a me  
repetere potestis, inscriptisse, quod eo ipso beneficia V E-  
S T R A in me collata rependi posse crediderim. Ea enim tam  
multa sunt, ut & mihi enumeranti tempus deficeret. Attamen  
mihi non imperare possum, quin referam, quo nam certe pa-  
terno affectu, T U V I R E X C E L L E N T I S S I M E , me do-  
miciolum tuum nuperrime T E v isendi gratia adeuntem, ibi-  
que præter spem atque opinionem morbo conflictantem gra-  
vissimo prosecutus es. Velim igitur ut V O B I S persuadeatis  
eam solummodo ob causam factum esse, quo notam ingratia  
hominis effugiam, & verbis gratias agam, id quod unicum  
est, quod gratis animis relinquitur, quoties iis debent qui su-  
pra omnem remunerationem positi sunt. Enumeratione V E-  
S T R A R V M virtutum facile supersedere possum. Optimus  
enim quisque ad prodendam virtutis memoriam non laudis  
sed conscientiae bonæ pretio dicitur, & sic præclarorum  
fætorum studiosissimus, laudis autem est impatientissimus. Sa-  
tis est enumerasse, vos mihi exemplar, ad quod vitæ meæ  
curriculum composui, suppeditasse. Et id etiam efficiet, ut  
indefessum literarum studium perpetuus meus comes futu-  
rus sit, quo dignus haberi possim

## TANTORUM PATRONORUM

CHRISTIANUS MAURITIUS ENGEL.

Obsequenterissimus Client



## PROOEMIUM.



E inquis Advocatis justo  
zelo profitetur AMBROSIUS  
in Serm. *Fusse advocato dicitur,*  
*redder quod accepisti, quoniam con-*  
*tra veritatem fecisti, iniquitati ad-*  
*fueristi, judicem fecellisti, justam*  
*causam oppressisti, de falsitate vi-*  
*cisti:* hoc effatum de illis im-  
primis valet, qui dulce in acidum, verum in falsum,  
& justum in injustum convertunt, ideo multis modis  
atque occasionibus spiritum iniquitatis suæ produnt,  
hinc ab ipsis aquis & justis Sacerdotibus iustitiae vel-  
ut scabiosæ fugiuntur oves, de quibus etiam illud  
valet, quod de integris & piis Ecclesiasticis Sacerdo-  
tibus eloquitur apostolus, *borum exitum contueamini;*  
de talibus improbis iustitiae devastatoribus & pver-  
soribus inquit BERNARDUS *de confidens: hi sunt*  
*qui docuerunt linguas loqui grandia, cum operantur exigua;*  
*largissimi promissores, parvissimi exhibentes, diversi adver-*  
*sus iustitiam, erudiri pro falsitate, sapientes sunt, ut faci-  
ant malum, bene autem facere nesciunt: tales, qui se ja-*

A 2

Etitant

Et itant defensores veritatis & protectores iustitiae,  
 magis ad subversionem, quam inventionem & defen-  
 sionem illius proficiunt: nec hi sine legibus & alle-  
 gationibus loqui & tumida sua judicia colorare ne-  
 sciant, modo illæ statui cause & conformes & ac-  
 commodatae sint: hinc de illis saepè valet judicium  
**ORIGENIS in Exod 8. ranae significans clamoras advo-**  
**catorum allegationes, quæ inoni & infesta modulotione vel-**  
**ut ranarum sonis & canibus mundo deceptionis fabulas in-**  
**tulerunt.** Mirum sane est, quanto nisu atque ope-  
 re istiusmodi graculi interdum optimas medicorum  
 relationes, & sobrias dijudicationes invehere & arro-  
 dere, insuperque multa indiscretum congerere & ima-  
 sumis confundere, soleant, ut aliam in aprico posi-  
 tam rem turbare, retardare, impedire, aliamque  
 larvam eidem inducere queant. Et quis non contra  
 merita astimatione concelebret prudentes, justos &  
 conscientiosos rerum atque causarum actores, qui  
 omnes circumstantias & res facti exacte conferunt,  
 dextre applicant & solide dijudicant, haud vero ubi-  
 que exempla, male quadrancia, corradiunt, nudis præ-  
 sumptionibus & opinionibus concertant & loco so-  
 briarum & solidarum defensionum, nudis petitioni-  
 bus principii probationes in contrarium formant.  
 Inter alia argumenta, quæ Medicum & Advocatum  
 in diffensiones & controversias judiciales super casus  
 forenses obvios trahunt, sunt specie discrepantes hu-  
 morens, quorum cognitio non raro utrosque sepa-  
 rat. Sic quoad *Sanguinem* in causa Homicidii inter-  
 dum medicus lethalem significat & accusat illius pro-  
 fusio-

fusionem, quam contra Advocatus negat: ille non nunquam absolute lethalem pronunciat quandam l<sup>a</sup>tionem, hic provocat ad accidentalem sanguinis inturgescientiam, commotionem, stasin, acrimonim &c. Si quis confessum post acceptum vulnus morte occubit & medicus vulnerationem lethalem renuntiat, mox defensor ad orgasmum sanguinis, rixis & compotationibus concitatum, confugit, unde magis accidens apoplecticum, a fortuita perruptione & extravasatione sanguinis in cerebro ortum, accusat; & ita in variis aliis casibus culpam in sanguinem sine prægnanti causa conjicere quidam defensorum annuntuntur. Alius principalis humor *Bilem* constituit, quæ perinde interdum advocatis bilem movet, quando medici in certis casibus non illam, sed aliam controversorum casuum causam incusant, si v. g. aliquis ex veneno oblato mortuus judicatur, defensor autem acriter acrem culpat & proclamat bilem, quia interdum morbi cholerici beneficium simulare solent: Si quis avtochir esse præsumitur, aut obsonicas causas talis esse judicatur, facile Patronus causæ & casus, promiscue ad prægressam aut præsumtam iracundiam provocat, iterumque bilis virulentiam ream facit: idem etiam contingit, quando philtrum propinatum ad item aut criminalem inquisitionem ansam præbet: aut si quis de venerea infectione suspectus aut plane accusatus est, mox biliosa, aut scorbutica sanguinis intemperies supponitur & allegatur: Si quis chronico & pertinaci delirio affectus præsumitur, confessum defensor ad transitoriam bilis effert.

A 3 vesce

vescentiam, adeoque facile curabilem morbosam afflictionem provocando confugit. Si incongrue, imperite & perverse ordinatum medicamentum accusatur, quod alicui mortem aut valetudinarium statum conciliaverit, tunc iterum culpa in copiosam & nocivam bilem conjicitur. Sic etiam *Seminolis* humor ad varias lites ansam præbet, dum e.g. ad stuprum violentum excusandum & defendendum declinatur malitiosa & nefanda arbitria, præcogitata animi libido & incusatur spermatis crimonia & cestrum unde non modo naturaliter organa genitalia irritantur & ex necessitate physica ad talem actum lascivum quasi impelluntur, sed & animus talium hominum ob eandem consensionem afficitur, ad talem raptum rabioso modo impellitur & cogitur, velut lasciva flagrantia cervi & urogalli, wie der Hirsch in der Brunst, und Uuerhahn wann er fahlt, qui delirus ardor est, sub qua rationis corruptione impotentes esse reputantur & miserabilibus personis accensentur: sub hac larva excusationis varia delicia & crimina non modo stupri violenti, sed & adulterii, Sodomiae &c. defendi possent. Ita etiam in puncto desiderati divorci, quando uxor mariti sui pertæsa, loco libelli repudii, ope callidi advocati varias causas fingit & ex cogitat; nunc enim vir fenen infœcundum continet, ideoque ad sobolem procreandam, & ut vult atque judicat ad principalem matrimonii scopum im petrandum, inhabilis accusatur, modo seminis defectu laborare diffamatur, modo semine impuro, aut nimis acri contaminatus denunciatur, a quo uxor ini quia

qua varios cruciatus, hystericos, colicos, ferme convulsivos, aut stranguriam, ischuriam, animi deliquia, cardialgiam, vomitus, flatulentiam, alvi vel obstruktionem vel profluvium, excoriationes, exulcerationes, pruritus, tumores & ardores genitalium, fluorem album & varia alia mala pati testatur atque indicat. Haud quidem asserimus tales provocationes & accusationes semper & indiscretim falsas, fraudulentas & rabulisticas esse: id vero significamus, quod nonnunquam inique tales causæ allegentur: interim ejusmodi defensores suo officio satisfacere volunt, quomodo cuncte autem sors dein cadat, aut undecunque rationes, argumenta, loci topici & inventiones in contrarium congregentur; quam nonnunquam similes sibi conciliant amicos medicos, ut tam nobile par, & cum parte aut cliente agente trifolium curiosas fabricet exceptiones. Brevibus has observationes loco præfaminis annotare & præmittere placuit, quibus modo probare volui- mus, quam sæpe humorum, in homine obviorum, consideratio consiliariis partium controvertentium crabrones movere, aut causam rixandi, & excipi- endi largiri queant. Ex hisce humoribus adhuc *La-*  
*etia* considerationem annextere lubet, quod in actionibus & inquisitionibus forensibus persæpe indaga-  
tionem & dijunctionem meretur, non modo quoad illam disquisitionem, quam ante breviter præterla-  
psum tempus *D. D. PRÆSES* Inaugurali quadam  
dissertatione explicavit, an mulier teneatur proprium  
suum lactare infantem, sed quoad arduam & momen-  
tosam

tosam illam alteram disquisitionem, an *Loctis præsentia indicium Graviditatis aut prægressi vel immaturi vel maturi portus sit.* Et hoc illud notatu dignum est thema aut argumentum, quod Medici explicare, resolvere, decidere & in causis forensibus applicare possunt, quod præsenti etiam Specimine Inaugurali succincte tractare & enucleare volumus: quod propositum ut ad vota decurrat, divinum auxilium deo-tissimis precibus imploramus.

### §. I.

**P**ræsentis tractationis argumentum concernit *Loctis præsentiam* in fœminis, quæ adhuc *virgines* se & intactas esse perhibent, nihilominus *suspicionem* excitant, quod adeo *puræ* & *innocentes* baud videantur, quia *Loctis* præparatio *naturaliter* cum *fatu* jam ad aliquam *perfectionem* adscendente, vel cum *præmaturo*, aut legitimo & *naturali* partu *prægresso* conexa est: id quod non modo in re ipsa ratum & fundatum est, sed uberrimis testimonii Medicorum comprobatum prostat. Non parum autem illos, qui hanc accusationem limitant & excusant, *GALENI* effatum in *Hystoria Philosofica* offendit & inquietat, dum cap. 8 de *Signo* testatur, *lac in papillis repertum, mulierem peperisse, prodere*; quem librum *non Galeni*, sed spurium esse, & aut ab *Aetio*, aut *Plutarcho* derivandum, variis authores arbitrantur: attamen sive hoc Galeni s. alterius authoris sententia & judicium sit, ut plurimum tamen cum *veritate facti* convenire videtur, licet propterea *excepta* observations æque *aliqualem* valorem servent. Quamvis autem hæc observatio.

tio, quod in *innocentibus* virginibus lac generari queat, a multis negetur, quos ex omnium facultatum choro congesit & nominavit FRANCKENAU in *Satyræ Medica XV.* §. 2. sq. tamen huic dubitationi & abnegationi illud HIPPOCRATIS Sect. V. apb. 39 repugnat: *Si mulier, neque prægnans, neque puer pera lac habet, huic suppressa sunt menstrua:* cui observationi plurimi medicorum, ratione & experientia muniti, subscriptibunt, comprobantque, quod ob defectum menstrui fluxus morbus sum in virginibus sine castitatis violatione *Lac* in mammis præparari & colligi queat, ita ut hæc exceptio a regula nihilo secius in arte fundata deprehendatur: Hæc extraordinaria observatio non solum in statu præternaturali annotata fuit, sed in selectis plane aliis quasi naturalibus casibus atque historiis illustrata & confirmata passim legitur: cujusmodi exempla multa a FRANCKENAU l. c. ut & in *annot. in P. Zaccibia Q. med. Leg. Lib. I. tit. 3. qu. i. n. 25.* nec non a D. D. PRÆSIDE allegata prostant in *Lexico Reali & Jurisprud. Medicæ Primo Tomo*, ubi in humano & brutino genere subjecta feminini sexus libere & sponte absque ulla morbi, a causa citra ultimum prævium congressum cum altero sexu lactis generacionem fuerant experta, imo quod magis insolitum est, in nonnullis *masculis* humanis similis *lactis secretio* & collectio in mammis observata fuit: quales casus illis admirandis naturæ effectibus vulgo adscribuntur, quorum multiplicia alia specimina & phænomena, ad medicam etiam disquisitionem spectantia, passim recensentur. Interea *naturæ connexio*, quæ inter *gravidam & fætum, matrem & infantem* intercedit, quæ *ordinarie* lactis generationem involvit, multos detinuit atque seduxit, quo minus ca-

supps

B sum

sum dabilem aut *possibilem* mutationem agnoscere & concedere possint, quod *lac verum* & *genuinum* in *virginibus* secerni queat: qua propter aliqui judicaverant, *illum humorem*, qui *a mensium suppressione* in mammis reperitur, *minime lac*, sed *impurum* quoddam recrementum esse, quoniam *sincerum* & *purum lac fætus* & *infantis usui* secundum naturalem ordinem destinatum est: quam sententiam *Maur. CORDÆUS* in *Hipp. Lib. 1. de muliebr. comm.* q. 5. & 6. ut & *LAURENTIUS Anar. cap. 9. qu. 2.* turgent: *Contra* hanc dubitationem & exceptionem vicissim alii, *Hippocratis autoritati* inhaerentes & rationum scrutinio operam dantes a veritate *causa* & *effectus* argumentantur, & vario modo certitudinem controversæ illius observationis probare nituntur: in quo modo probandi licet rationes anatomicae a consensu *uteri* & *mamarum* mediantibus *venis*, utrisque partibus communibus creditis, valde *erroneæ*, *fictæ*, *obscuræ* & *imaginariæ*, ideoque *antiquis* opinionibus relinquendæ sint, utut certiores magis perspicuat constant, attamen experientia indubitatis exemplis eandem observationem satis superque comprobatur. Proinde autem hæc dissensio ram in foro *medico*, quam in Collegio *mixto Medico-Juridico* atque *forensi*, multis *erroneis usibus* atque applicationibus ansam præbuit, quibus propterea evitandis atque declinandis ab utraque parte cura impendenda erit, siquidem in nonnullis *arduis* casibus *Medicorum* interpretationes & decisiones requiruntur, ne *Hippocratis* observatio *ultra limites* & causalrum concurrentium qualitatem extendatur & amplificetur.

## §. II.

*Cardo vero rei & momentum* præsentis tractationis  
atque

atque thematis in eo versatur, an videlicet feminæ clandestinæ *imprægnationis*, aut procurati *abortus*, aut cœlati *prægressi partus* suspe&tæ, in quibus sub *inspectione corporis in mammis lac* invenitur, ex hoc *indicio* præsumpti delicti *reæ agnoscendæ* sint, an contra juxta *communem morem* ad *Hippocraticam* illam observationem *fundatum* ac fide dignum *refugium* capere liceat atque conveniat: nam *quotiescumque* contra *suspectas* tales feminas Inquisitio orta, formata & instructa est, ferme semper sub hac Hippocratica annotatione *defensores patrocinium* & *protectorum* querunt, ita ut expansis amplificationum & multarum allegationum & variis historiis onustarum navium velis in portum hujus securitatis confugere soleant: Quoniam hæc assertio Senis medici non *universalis* nec *promiscue*, accipienda & applicanda est, ideo omnis inde exspectandus & passim obvius *abusus* a medicis *peri-tis* sollicite intercipi debet. Si enim *uni defensori* ad hoc asylum pater accessus, quidni *alter* & tandem *omnis* eo confugere poterit: Et hæc provocatio & excusatio, licet in *particulari* applicatione justa & *vera esse* possit, haud tamen *multis*, ne quidem *plurimis*, minime *omnibus* ad hoc refugium patet aditus, ni veritati *medicæ* vis, & justitia *criminali fallacia* & violatio inferatur. Etenim in *individuali* applicatione minime valet & sufficit provocatio ad *Hippocratis* effatum, nec allegatio, *comparate multorum* casuum & exemplorum, lactis in *inculpata* virgine, innocentissima puella, muliere nec gravida, nec puerpera, ut & in puer, juvene, viro, reperti, satisfacit, id rectius demonstrandum erit, an *hæc* exempla ad *præsentem* personam quadrent, & an hoc, quod *de uno*

B 2                        valer,

valet, idem etiam valeat de hoc, & alio, & singulis subje-  
 ctis. Hoc itaque inter medium septum medici periti strue-  
 re, eoque ipso justitiae subvenire debent. Et ita quidem sal-  
 va authoritate & observatione Hippocratis, haec tamen al-  
 legatio & excusatio eximiā mercerū interpretationem,  
 exceptionem & limitationem: siquidem adeo speciosa an-  
 notatio teste experientia & plurimorum medicorum, im-  
 primis in hunc aphorismum commentantium suffragio per-  
 quam rara existit; ex illis testibus atque Commentatori-  
 bus producimus GALENUM, Christoph. a VEGA, Jacob.  
 FONTANUM, Ant. Mus. BRASAVOLAM, HEURNIUM:  
 inter reliquos Guido Ant. ALBANESIUS in b. opb. inquit,  
 non existimandum est, ac si hoc cerebro eveniat, quin recti-  
 us rarissime hoc contingit, quod Senex hoc opb. notavit. E  
 reliquis ARISTOTELES Lib. 3. Hist. anim. c. 20. testatur:  
 non pragnanribus aliquando, sed RARO edulis quibusdam  
 efficiunt, ut lactescant, etiam quibusdam mulieribus natu-  
 majoribus suctu frequentiore lac produnt & copia ranta, ut  
 infantem enutrire potuerint: hanc infrequentiam hujus  
 conversionis in Lactis præparationem, confirmant RAN-  
 CHINUS de Morb. virgin. Sect. 1. c. 16 JONSTON euamatorogr.  
 C. 1. ff X c. 5. art. 2. in fin. SENNERTUS Prax. Lib. 4 Part.  
 2. Sect. 3. c. 1. qv. 6. BARTHOLINUS in institut. med. ita etiam  
 hujus raritatem reddit, pro suo arbitrio SINI-  
 BALDUS geneanthrop. Lib. IV. tr. 2. c. 7 p. 467. Circa hu-  
 jus accidentis raritatem fusiū occupatur ZACUTUS LUSI-  
 TANUS Prax. hist. Lib. III. c. 8. ad fin. ita differens: hoc  
 raro contingit, ut Galenus protulit, quæ autem raro sunt  
 contemnunt medici, qui solum frequentia tractant: neque  
 enim ex iis, quæ aut bis homo vidit, debet pronunciata me-  
 dica

dico confidere, lib. de fæt. form. c. 2. dicebat Galenus. *Lac ergo citra conceptionem, et si raro, & in conceptione frequenter gigni potest &c.* conf. MERCATUS Lib. 1. de Partu Part. 4. Clasf. 4. qu 124. n. 3. BARTHOLINUS in Anat. Lib. 2. c. 1. ait: *etiam in virginibus & mulieribus non gravidis aliquando (licet raro fiat) lac generari potest, si copioso & spirituoso sanguine referata sunt mammæ, & accedat suppressio menstruarum &c.* & ne plura addamus testimonia, unicum adhuc DIEMERBROCKII suffragium annēdimus ex anno. in b. 75. rationales medici obstructis purgationibus menstruis lac in virginum mammis interdum generari posse, non negabunt, licet id raro fiat: Non possumus non, quin hoc ordine adhuc sententiam HOLLERIT in comm. in b. apb Hipp. annēctamus schol. p. 530. loc. gignitur etiam quando Menses sunt suppressi: dum menstrualis materia ad mammas refluit & in illis, partis integriate & suci bonitate lac gignitur: quod postremum rarum est & Hippocratis potius experimento comprobatum, quem ulla ratione confirmatum. *Vix enim ac ne vix quidem fieri posse videretur, ut sine concubitu ac conceptione mammæ lacte surgeant, & a suppressis Mensibus, sanguis, ad mammas delatus coquatur in illis, & in lactis speciem transeat cirro ullam mulieris molestam:* cum teste Galeno providentia naturæ lac gignatur in mammis solius fætus tum uero conclusi, tum in lucem editi, nueriendi gratia. quæ singula testimonia, necessitate postulante, multis aliis augeri possent, hæc tamen sufficienter distinctam hujus observationis *rectitudinem* comprobant.

## §. III.

Et ita non modo hæc lactis generatio in innuptis

B 3

&amp;

& virginibus possibilis, sed variis exemplis probata est, dum respectus generici quidam inter conceptum factum & retentos Menses consentientes occurunt, siquidem facta conceptione alimenta sanguinis pars in fetus nutritionem impenditur, cuius absentia vicissim ex retentis Menstruis in vegetis & robustis naturis ad vicariam hanc superflui alimenti collectionem in alia culina, hominis sustentatio a tenebris ministrante & destinata, occasionem praebet: hinc J. G. DIETERICH in disp. sotenn. 22. §. 8 recte sentit, quod lac in virginibus sit laudabilis naturae signum: sicut fieri aliquin solet, ut, si fetus ob aliquam morbosam imbecillitatem, vel modo acquisitam comparatam corporis firmitatem tantam nutrimenti copiam haud consumit, quae in sanis, vivacibus & plethorics feminis praestato est, tunc superflua illa nutritiva portio ad mammas deferatur, velut ad gazophylacium, ex quo tanquam ex penario naturali suo tempore necessaria alimenti quantitas deponiti potest. Quemadmodum etiam spurius conceptus & Molæ cum vero conceptu aliqualem convenientiam habent, intuitu subjecti aliquius, utero adhaerentis & de bujus sanguine participantis, ideo in istisdem casibus lac interdum, sed iterum raro, generari solet. Imo quod adhuc magis est, accidit etiam, quamvis perinde raro, ut virgines molam generent, sub quo statu interdum Lactis secretionem experiuntur, quæ licet animalium & exquisite formatum serum non in utero gestent, aliud tamen concrementum illico gerunt & alunt: ob id etiam HIPPOCRATES Lactis deficientem naturalem præparationem & ominosam præsentiam, cum Molæ gestatione sequenti observatione atque textu in opposito conjungit: Lib. de sterilibus §. 20. text. 4. & 16. quod mola in utero præsente

sente lac in mammis non generetur, & quod magnum signum  
 hoc in casu sit, lac in mammis non generari, quoniam concre-  
 mentum tale uterinum continuo augescit, ideoque sanguis  
 æquali quantitate ad uterum defertur, nec quædam ejus  
 quantitas, velut superabundans, ad mammas speciali di-  
 rectione & congestione transfertur, ut quidem in illis,  
 quæ nihil in utero gestant, attamen mensum defectu labo-  
 rant, in quibus sanguis absolute superfluus & præter con-  
 suetudinem nimius redditur; inde facilius ex illo aliqua  
 chylotæ substantiaæ quantitas ad mammas vehitur & ad lachrymæ  
 vicarium præparationem contribuit: Quoad hanc obstra-  
 clam & latam convenientiam generationis lactis in marita-  
 tis & in gravidatis, aut plenario partu solutis, nec non in  
 innuptis & intactis talem comparationem OLAUS WOR-  
 MIUS in Cista medica, Thom. BARTHOLINI Loculo XXIII.  
 p. 248. instituit: putas ne impossibile esse, ut virgines &  
 aliae, quæ nondum conceperunt superfluo sanguine, (præser-  
 tim si menses subsisterunt) abundare queant? putasne illas  
 mammis simili calore præditis defituras esse? putasne natu-  
 ram in onere superfluo expellendo, minus in illis laborare,  
 quam in aliis? vides ut res ipsa loquitur? Quam infrequens  
 autem ille casus est, quod ob Mensum defectum in innocen-  
 tibus virginibus lac generetur, secundum universalem hi-  
 storiam estimationem, tam falsum est judicium e confusa  
 so non modo rationum exemplorum in particulari observa-  
 tionè, sed aliarum historiarum lactis in masculis humanis,  
 & animalibus feminini sexus, nondum congressum per-  
 pessis collectione frequeniam hujus accidentis probare velle;  
 in quo modo aberrasse nobis videtur idem OLAUS  
 WORMIUS l. c. p. 251. ita differens: cum itaque & ratio &  
 auto-

uthorieatum majestas & infallibilis experientia momenta  
obunde evincant, eam in virginibus, quam in mulieribus ste-  
rilibus, eam in masculis rationabilibus, quam irrationalibus  
lac copiosum existere posse & extitisse, quis unquam sanus  
pro infallibili conceperus signo illud accepit? & porro:  
p. 254. Raro non esse observationum docet frequentia. Le-  
gat qui volet Aristotelem locis rotis citatis, legat anato-  
miam Alexandri Benedicti, legat observationes Schenckii,  
legat Cardanum, legat Vesalius, Engubium, Baricellum,  
aliosque infinitos, sat scio exemplorum multitudine obrue-  
tur. Ast non numerandae sunt historiae collective, ab his  
aliisque medicis enarratae, quarum licet centum & du-  
centa allegari fortassis possent: numera potius myriades  
puellarum, quæ mensium defectu laborarunt, ast similem  
lactis generationem nunquam expertæ sunt; inde lique-  
bit, vix ex centum unicam hujuscemodi extraordinaria &  
insolita lactis præparationi obnoxiam redditam fuisse.  
Exinde facile illa veritas practica inclare cet, hanc obser-  
vationem non tantum raram, sed plane rarissimam esse,  
ad quam tam frivole ac promiscue confugere, haud facile  
licet: ni historicam fidem in Medicina confuse tractare, æ-  
stimare & applicare velimus.

## §. IV.

Quoniam itaque non plurimis, nec multis, sed pauci-  
issimis omnium id accidit, quod Hippocrates adnotavit,  
ideo juxta rationalem cognitionem medicam jam Subiecta  
talia quoad individuales qualitates significanda erunt, qui-  
bus talis extraordinaria Lactis Secretio contingere solet &  
potest, ad quam delineationem Defensores suos casus, suas  
que Clientes atque Inquisitas comparare & mensurare po-  
terunt,

terunt, ne tam temere, futiliter & *promiscue* ad hanc Hippocraticam annotationem, velut ad sacram confugiant anchoram. *Privativa* itaque disquisitione ad *insolitam* hanc *Lædit* generationem minus dispositæ sunt fœminæ, quæ sub *prædominio* frigidi temperamenti vivunt, quibus communiter actus tales *extraordinarii* nec in *moralibus* nec *physicis* operationibus familiares sunt, quippe quibus *vigor* & *resolutio* illa naturalis ad *insolita* negotia suscipienda, eminenter *deficit*: nec porro in talem insolitum processum propendent subjecta *medocrater pletorica*, quibus etiam *modica* sanguinis abundantia nec ponderosa, nec *onerosa*, sed *tolerabilis* est, ut nec præterea ulla ratio urget, quo *aliorum* alimentosa quædam sanguinis copia ad necessariam & urgentem *exonerationem* transferatur, quia sub reliqua mensium *retentione* haec *moderata* sanguinis abundantia mitius *leniusve* in corpore individui tractari potest: quapropter in fœminis Mensium suppressione laborantibus illa quotidiana occurrit obserratio, unam præ altera lenius mitiusve inde molestari & affligi: Neque præterea ad hanc *insolitam* experientiam pronæ sunt fœminæ, quibus sanguis *craffor*, *viscosor*, *immobilior* & ad *stagnationes* subeundas aptior est, in quibus tam *extraordinaria* sanguinis *translatio* ad *distantiores* regiones atque partes valde *difficilis* existit, cum potius in iisdem *stagnationes*, opulationes, *infarctus*, *stases* & singulorum excretionum *obstructiones*, & sufflaminationes *facilius* eveniant: in quibus etiam *pinguis* & alimentosa portio a sanguine tam facile haud *secedit*; hinc talia subjecta *agerrime pinguescent*, sed magis *gracilia*, marcida, *sicca* & *densa* permanent. Proinde aliis fœminis, *gracili*, den-

so & stricto habitu corporis præditis, idem, quod in quaestione est vix evenit, quibus congectiones humorosæ infrequentius, stagnationes vicissim humorum in suis canaliculis cœbrius eveniunt: sicut etiam talibus subjectis comparate minor copia sanguinis in compacteri solidarum partium constitutione, major vero illius quantitas in vasculis amplioribus præsto est, ideo partim ob teneritudinem & gracilitatem mammarum, partim ob defectum necessariæ succulentæ & humidae partium impletionis, partim ob difficultatem motus congestorii haec translatio chylosæ partis ad & intra mamas sub Mensium defectu hanc facile contingere potest: prout idem contingit in scemini regulariter & ordinate lactantibus, quæ tali corporis & mammarum gracilitate instructæ sunt, quibus communiter lactis secretio non modo difficilis & impedita, sed illius generatio & collectio parca & insufficiens est, ut propter talē defectum quadam ministrantem & mercede conductam nutricem admittere teneantur. Ulterius talis immutata lactis generatio hanc familiaris est subjectis alias infirmis, animo & corpore languescentibus, aut plane frequenter valerudinariis, quæ præter illas, ad Mensium suppressionem contribuent, causas, adhuc aliis morbis causis affliguntur; ob id frivole ac audacter verbofa declamatione statum sceminarum cacheoticum & valerudinorum accusant, qui in omnibus scemini, quæ extra matrimonium ob lactis præsentiam in suspicionem veniunt, plenis buccis incusatur, quasi hic cornua aræ constituant, quo omnes criminis alicujus reæ & summo supplcio dignæ, confugere queant. Quæcumque amplius sceminae mox post Mensium suppressionem graves cruciarus

&amp;

& morbosque molestias in *abdomine* experiuntur, quæ alias *anomalum* statum Menstrui negotii comitari solent, illis omnium *rariſſime* talis admodum *insolita lactis* Secretio accidere solet.

## §. V.

Contra vero ad ejusmodi, cæteroquin admodum *varam, conversionem mensum retentorum in innupeis & innocentibus Subjectis, ad Mammas & connexam lactis secretionem & collectionem magis dispositæ sunt feminæ enimo & corpore robustæ, activæ & expeditæ, ad negotia extraordinaria, insolita & ardua suscipienda resolutæ atque intrepidæ; sicut analogus casus occurrit, quando Menses per *insolitas* vias erumpunt, qui *raviori* etiam successu e *mammis* prodiisse leguntur: id quod sane in torpidis & languoribus Subjectis nunquam expectandum est: plurimum enim in tali *vicario actu vigor*, præstantia & robur *motuum* requiritur, quæ qualitas in Subjectis *timidis, abjectis & negligentibus minime* querenda est. Deinde talia Subjecta deprehenduntur communiter *eminentius plerorica* esse, id quod ex solidiori & curatiori observatione plurimi illi medici attestantur, qui hujus annotationis mentionem faciunt: *urgens* enim sanguinis abundantia cum *strenuis* magis commotionibus & *evagationibus* utpluriū combinata advertitur, imprimis si cæteroquin naturalis *vigor* & operandi *alacritas* conjungitur. Accedit præter has qualitates sanguinis *superflui* præsentis ob mensum suppressionem extra ordinem accumulati major *fluxilitas* & *subtilior* consistentia, quæ hujuscemodi *translationali* & *congestioni* *facilius* obtemperat, sicut cum *eadem* causa *facilior* & *celerior* massæ sanguineæ *expansio*, or-*

C 2      *gastica*

*gastica commotio & translatio in extimas corporis regiones conjungitur: & hujus qualitatis subjectis facile ex mensum suppressione congestiones ad pectus & caput accidunt; cum contra feminis quibus spissor ac viscidior est sanguis, ab eodem defective mensum vitio, parhemata in abdomen, hypochondriis & ventriculo congestoria, stagnatoria, angustatoria, spastica, cardialgica, emetica, syncoptica similiaque eveniant.* Propterea in *realem* menstrui negotii *transformationem* relative facilis inclinant feminæ, quæ alias *congestionibus* & *translationibus* sanguineis *citationibus* acurrentibus & recurrentibus *magis* obnoxiae sunt, ideoque *singularibus* motuum in processu virtæ naturalis mutationibus crebris & facilis submissæ observantur. Præter hæc, huic *extraordinaria* lactis generationi subeundæ *magis* dispositæ sunt feminæ valde *lascivæ* aut libidinose, quibus ob flagrantem *venereum* affectum *simul organa venereo* instinctui & desiderio communiter *ministrantia*, utpote *uterus* & *mammæ* admodum *irritantur*, ideo ut plurimum vel *bene* vel *male* menstruatis *mammæ vorio* modo afficiuntur & alterantur, prout in peculiaribus individuis annotatur, hanc officinam lactis aut *oppropinquariibus*, aut *fluentibus*, aut *retentis* mensibus magis *inturgescere*, aut *largiori humorum impulsu* & *affluxu intumescere*, sicut alias *voluptuosis* talibus personis per quam familiare est, ut sub ardore libidinis mammæ quasi fermentent. In hanc insolitam *lactis* generationem & anticipationem paulo *magis pronæ* sunt feminæ, quæ *bene ingerunt*, bene digerunt, *multum* eumque *pinguem* sanguinem *congerunt*, adeoque *überorem chylos* & alimentosæ materiæ in massa sanguinea continent, in qui-

quibus mensium retentio ad hanc *particularēm* abundantis nutritivi humoris separationem & collectionem ansam præbet: in quibus subjectis itaque hæc *individualis* habitudo, ut coacervatio alimentosæ substantiæ ex mensium suppressione in talem specialem usum convertatur, (sic ut in *altis* individuis hæc *abundantia alimenti* in superabundantem *sanguinis* generationem & collectionem ad statum *turgide* plethoricum usque, in quibusdam etiam ad nimiam *obesitatem* & pinguem corporis expansionem dirigitur & impenditur, in nonnullis vero in *actualem cruentam* depletionem per varias *hamorrhagiarum* species convertitur) obtingit, in illis singulæ prædictæ causæ ad *comparare faciliorēm* illius lactis extraordinariam secretionem contribuit. Denique etiam his & qualitatibus anneximus *spongiosorem*, *turgidiorem* & *succulentiorēm* habitum corporis, velut in subjectis *sanguineo-cholereticis*, *cholerico-phlegmaticis*, ut & *cholerico-sanguineis*, quibus etiam *mammae* paulo *ampliores* laxiores & ad tam actum præsentis observationis subeundum, aptiores existunt, ad quas non modo ordinarie *largius* atque *pleniū humores* pervenient, sed & *extra ordinem* faciliter congeri possunt, quæ aptitudo *instrumentalis* æque ipsam *gravitatem*, difficultatem & insuetudinem ipsius actus allicit & adjuvat, sicut communiter *ubera majora* & *ampliora* faciliorem & *largiorem* lactis præparationem naturali nexu afferunt & inferunt.

## §. VI.

Ne autem quasdam prædictarum qualitatum, aut *privativo*, aut *positivo* respectu, præcedentibus §. annatarum nonnulli illotis manibus, aut *indiscreto* judicio in suam

C 3 rem

rem trahant, quando *disjunctivo* sensu, aliquas *separato* commemmoratarum earum qualitatum fugitive & *provisue ad quoslibet* casus applicare, indeque parrocinium aut protectorium *medicum* captare gestiant, ideo necesse erit huic *obfuſu*, falso asylo & inquis foribus pessimum obducere, ne callidi quidam & dicaces rerum controversialium atque *suspectarum* actores, circum actores & defensores huc *temere* atque intrunite confugiant: *Cynosura* instar aut regulæ universalis loco sit, talem casum, præsentis argumenti, *rariſſimum* esse, eaque propter *prædictas* qualitates, haud *quælibet* concernere subjecta, etiamsi *nonnulla* illarum qualitatum ad præsentia subjecta applicari queant: secundum quam principalem cautelam reliquæ circumstantiæ ira dijudicandæ sunt, ut si non omnes, *plurimæ* tamen qualitates in *eodem* subjecto & privativo & positivo respectu *convenire* & connectere debant, si Hippocratis aliorumque observationes ad *substratum* casum aut *personale* subjectum applicare licebit. De hoc autem momento nec *advocati*, nec *imperiti medici* judicare possunt: inde etiam evenit, ut interdum audaces, animosi & præcipites defensores *infirmis*, confusis & perversis historiis & judiciis *medicorum* circumvallati, infrunite *quaslibet*, ad hanc quæſtionem *late* ſpectantes, historias fugitivo ausu rapiant, adeoque extreme vitioso arguento aut aperto paralogismo ab uno singulari, ridiculo modo, ad *universale* concludere non erubescunt. In quibuscumque enim fœminis motuum processus *communi* & *confuero* tramite progrediuntur, ita ut nullæ aliae *difflatae* & *insolita* inventiones & mutationes eveniant, quales sunt, fi v. g. ex Mensium suppressione *mirabiles* & *singularia*.

gulares transitus motuum in *dissimas & externas corporis*  
*regiones oriuntur*, qui vel *varas*, arduas & novas *eva-*  
*cuationes*, *congestiones*, *intumescentias*, *efflorescentias*,  
*exrubescentias* &c. causantur atque formant, vel insolitos  
*spasmos*, *convulsiones*, affluxus, apertiones & dolores  
excitant, vel alias *sonticas* & infrequentes *anomalias* pro-  
vocant & comprehendunt, ideoque in talibus subjectis  
peculiares minusque familiares qualitates observantur,  
welche eine eigene, besondere Art oder Natur haben: in illis  
extraordinariae translationes, collectiones & vicariae eva-  
cuationes non contingunt, quæcumque enim *morbosa* pa-  
thema mensium retentionem *communiter* & utpluri-  
mum comitantur, illa cum tali *infinita* & infrequentia  
mutatione minime confundenda, aut *indiffero* judicio ex-  
stimanda sunt, sicut *simplex plethoricus* status, aut ani-  
mus *voluptuosus* non promiscue ad hanc *extraordinariam*  
*lactis generationem* & anticipatam collectionem & ex-  
cretionem sufficit & satisficit, cum *plurimæ suspectorum*  
*sceminarum* ob ferox & *voluptuosum* vivendi genus *ple-*  
*thorice* evadunt, insuper autem *animo lascivo* præditæ  
sunt, quæ propterea prorerta audacia sub hisce causis  
cum patronis suis protectionem, innocentiam, fidem  
& integratatem querere & expectare possent: qua de  
causa *periti*, attenti & *circumscripti* medici *prædictos* qua-  
litates ita conciliare & dijudicare debent, an æque in uno  
individuo concurrent, eidemque manifeste comperant:  
ob id *fide dignis* medicis *examen* & *visitatio talium suspe-*  
*tarum sceminarum* committenda, nec *arbitrio Defenso-*  
*rum* relinquenda est, quorum nonnulli ne diabolo qui-  
dem defensionem denegandam esse putant. Qua occa-  
sio-

sione *Medici & Advocati* monendi sunt, ne talibus scemi-  
nis ita *frivole* hanc observationem in aurem dicant, quam  
fraudulentæ & *malitiosæ* illarum ambabus arripiunt, &  
cum defensore suo in scanno tornatorio dolose suæ in-  
tentionis elaborant, & callide exornant, ut facile *falla-  
ciam pro veritate* vendere queant. Sufficit rectius & *ab-  
stractive* tales suspectas sceminas interrogare, quæ in  
corpo suo sentiant molestas mutationes; unde illas de-  
ducant; quomodo quoad *singulas functiones* sint compa-  
ratæ; haud vero ipsis talia refugia monstrent & insulsur-  
rent, quin magis talia abstractive explorent, quæ cum  
graviditate præsenti aut prægressa, vel cum insolita la-  
ctis generatione convenient: alias facile evenit, ut sce-  
leratae sceminae a caufidicis, parum religiosis & consci-  
entiosis, seduictæ & corruptæ, audacter indicent provo-  
centque talem *extraordinariam* qualitatem ipsis jure *bæ-  
reditorio* familiarem & personalem esse; qua excusatione  
facile judicium humanum decipiunt.

§. VII.

Præter hæc crinomena, quibus *veritas* & certitudo  
observationis Hippocraticæ inquirenda & confirmando-  
est, nunc specialiora signa *individualia* quoad applica-  
tionem annotanda sunt; videlicet sceminae quæ ob Men-  
sium suppressionem Laetis generationem & præsentiam  
allegare & *suspicionem violatae* castitatis a se *removere* ge-  
stunt, haud eminenter *voletudinariae* sunt, nec propria  
attentione se tales esse actu sentiunt, nisi talem sensatio-  
nem magis fingere & *simulare* malint, nec medici per-  
spicuis & *indubitatis* indicis cognoscere possunt, eas ob  
hujus naturalis fontis *obstructionem* *morbosas* esse, quare  
*color*

color faciei a *naturali* & sano vel nihil, vel *parum* discrepar, ad minimum nec *talis* est, qui cum Mensium *defectivo* vitio, aut alia ordinaria *lactatione* conjunctus est, dum potius hæc *lactis insolita* se & excretio *vicariam* & *suppletoriæ* evacuationem, mensium *defectum compensantem*, constituit, & sic in nonnullis casibus atque subjectis *fluor uterinus albus* in *proximis locis* & *organis* menses, *insufficienter* succedentes, *supplet*, & Mensium *alborum* nomine venit, ita *chyloſa* hec substantia in *bisce* ſceminis ad *mammas* transfertur, quo actu æque *impeditur*, quo minus sanguis tantopere *augeatur*, uti in *communi* Mensium suppressione evenire folet. Porro ejusmodi ſceminæ, quibus ob Mensium *retentionem* lage-  
natur sine *Graviditatis* aut *Puerperii* cauſa & ſuspicio-  
ne, *robore* corporis aut *virium* prætantia ſatis *firmæ* exi-  
ſtunt, dum vicifim pathemata, reliquam *præternatura-*  
*lem* Mensium obſtructionem excipientia, quippe *emi-*  
*nenter* morbosa, manifestum *animi languorem* & quarum-  
libet *virium torporem* atque decrementum complectun-  
tur: Quod ad ipsum *modum translationis* & congestio-  
nis humorum ad *mammas* attinet, tunc nec ipſe adeo  
*clandestinus* & lenis est, quin nonnullæ *molestiæ*, *insoli-*  
*tum* hunc actum comitantes, occurrant, licet illæ non  
exquisite aut *graviter* *valerudinarium* ſtatim efficiant:  
quare in *mammis obscuri* dolores *tensorii*, inflatorij &  
angustatorij, in *copire* autem transitorii *dolores conge-*  
*storii* irruunt, recurrunt & repetunt: Et tales molestiæ  
imprimis *illis temporibus* atque *periodis* ingrauescunt &  
exacerbantur, quibus *regulari modo* *Menses* erumpere &  
fluere deberent; quemadmodum communiter *illa* pathe-

D

ma-

mata, quæ atrociōrī gradu & statu Mensium defectum cōmitari solent, iisdem periodis magis afflīgunt; quam mutationem lactatio ordinaria subire haud sōlet: hinc illa insolita lactis generatio, quæ cum præternaturali mensium suppressione connectit, bānd continua serie procedit, sed modo succedit, & præcipue menstruis illis terminis increbescit, comparate majori mammarum intumescentia accedit, aliquot diebus insistit, tandem iterum acquiescit, & talia irregularia intervalla servat, ut inde etiam colligere liceat, hanc lactis præparationem alioris esse indaginis & singulares involvere respectus: ideo sub hoc alternante ac mutabili processu nunc mammæ inæqualiter inflantur, & velut nodosa protuberantia intumeſcent, modo iterum detumescunt, & hac instabili qualitate produnt, quod cum ordinario & regulari Lactationis statu nullam communionem habeant: neque etiam hæc sanguinis extraordinaria translatio ad mammas & lactis rara atque insolita generatio ob Mensium suppressionem absque omni aut ulla molestia succedit, ut supra docente experientia DIEMERBROECK testatus est, licet propterea non talis & similis valetudinarius status oritur, (qualis ut plurimum Mensium obstructionem sequi solet,) interea quædam molestia in mammis & vicinis regionibus occurrit, præter auctiōrem motum sanguinis, majorem, fortiorem & pleniorem pulsū arteriarum, intensiōrem calorem naturalem, & clandestinam orgasticam sanguinis commotionem, signiōrem alvum; illarum molestiarum sunt transitoriae congeſſiones ad mammas & caput abeuntes, conjuncti dolores tensiorii, oppletorii, æſtuan tes, distendentes, pungitivi, aut mitiores ſpasti ci:

ci: unde etiam *facilius* in mammis *graviores* *morbosa* affi-  
ctiones oriuntur, quoniam sub hoc statu *motuum infoitorum* atque *sensibilium & vagabundorum* major ratio ha-  
benda est; quare evenit, ut, si talis secretio & collectio  
*lactis* subito & directe *repellitur* & *supprimitur*, non  
modo in mammis, sed & in toto *turbulento* negotio men-  
sium *gravissima perversio* & periculosa confusio & ex-  
aceratio acceleretur & excitetur; quippe quæ qualitas  
ulterius testatur, *banc lactis præparationem*, non cum  
*ordinaria & naturali* communi causa *gravitatis*, aut *pu-*  
*erperii* præcedentis cohærere. Præterea *Hippocrates*  
sextu suo presupponit, si mulier *nec gravida* est, *nec pe-*  
*perit*, (idque in *scemina certum, indubitarum & proba-*  
*rum* est,) lac vero habet, huic menses deficiunt: haud  
ramen Hippocrati sermo *invertendus* est, quando tex-  
tus ita explicatur, quod *scemina* quæ lac in mammis con-  
tiner, non *gravidam*, nec *puerperam* se esse asserere,  
sed mensium defectum inculpare queat: nam illa obser-  
vatio *præmititur*, si *verum* est, mulierem nec *gravidam*,  
nec *puerperam* esse, lac tamen in mammis gestare, tunc  
hujus extraordinarii accidentis, menses retenti causam  
constituent: nec ita sensus *invertendus* est, quibus lac in  
mammis præparatur, illæ non *gravidae & puerperæ di-*  
*cendæ* sunt, quia Mensium defectus causa esse potest:  
deinde Hipp. dum *mensium defectum* in hac observatio-  
ne nominat, *non alias* causas *lactis* excludit, nec signi-  
ficat, quod *semper* mensium defectus *lactis* secretionem  
inferat: ob id non ludicre a *lactis præsenzia* ad *Mensium*  
*retentionem* concludendum, sed *aliis firmis argumentis*  
probandum est, *scemina* non *gravidam & puerperam*

D 2 esse,

esse, *deinde* inquirendum erit, *a qua causa* lactis præsen-  
tia, si qua nec gravida est, nec peperit, pendeat, an a men-  
sium defectu, *an alia causa*.

## §. VIII.

Hæ observationes *lydi lopidis* instar inservire pos-  
sunt, secundum quas scrutinium medicum institui pot-  
est, an lactis præsentia in innuptis *Mensum suppressioni*,  
an *Gravidirati*, aut *Puerperio* adscribi mereatur: præter  
has annotationes vero adhuc *ipsius lactis* ratio habenda  
est: & hoc quoad *quantitatem* & quoad *qualitatem* diju-  
dicandum est: *illam* quod attinet, tunc in eo casu ubi  
*Mensum obstructio insolitæ & dubiæ lactis generationis*  
causa est, communiter *baud multa* illius copia præpara-  
tur, nisi tales fœminæ *turgida* plethora oppletæ, *laxio-*  
*ri corporis habitu* instructæ, mammis *pratumidis* præ-  
ditæ, & diætæ *pinguiori* & lautiore deditæ fuerint; id-  
eo magis *congestiones*, quam *largiores* secretiones lactis  
contingunt, ut propter ea *affluxus* & infarctus *sanguinis*  
ad mammae major & plenior, effluxus vero *lactis minor*  
& *lenior* existat, sub quo *largiori affluxu* per rationes  
*mechanico-hydraulicas* uberior laeti separatio in mam-  
mis contingere *baud* potest: Et hæc quantitas sub inqui-  
sitione & inspectione mensuranda est atque dijudicanda  
respectu *subjecti individualis* & intuiru *cousæ*: nam fœmi-  
næ *valerudinariae* atque infirmæ tam ex *Mensum suppres-*  
*sione*, quam sub *graviditate* & post *Partum parum La-*  
*ctis colligunt*, dum contra in *robustis & sanitati* proxi-  
mioribus paulo *plus* illius præparatur: quæ considera-  
tio, *quantitatis* rationem involvens, etiam reliquis cir-  
cumstantiis diætæ, *regiminis*, *animi motuum ac morum*,

ut

ur & adhibitorum experimentorum, aut medicamento-  
rum accommodanda & connectenda est: quæcunque e-  
nim sc̄eminae vili ac famelica diæta fruantur, multum  
desidia indulgent, frequentius frigida, crassa & dura ali-  
menta, pauca potulenta, esculenta incroffania, acida  
& similia ingerunt, corpus multum frigori submittunt,  
quoad animum timori, tristitia, curis, angori, solici-  
tudini, variisque inquietudinibus dediræ sunt, illæ talem  
*vicariam* menstruam translationem & inde pendentem  
*lactis* generationem vel plane non, vel parcissime expe-  
riuntur, quas causas itaque sub solertia & curationi in-  
quisitione explorare & significare perquam confert. Præ-  
terea autem in hujus observationis veriori *indagatione* &  
æquiori *applicatione* ratio habenda est *qualitatis* in Lacte,  
quod ob *Mensium defeluum* quandoque generatur; &  
hanc ob rationem nonnulli judicarunt, Lactis præsentiam  
non *indub* tam indicium *violatae* virginitatis esse, uti e  
JCTis BOCER de quæst. Et tort. cap. 1. KORNMANN de ju-  
re virgin c 9 Henning ARNIS de Jure Connub. c. 3. Sect. 3.  
CARPZOV. Prax. Crim. Part. 3. qv. 122. n. 22. senserant:  
hui dubitationi ansam præbuit artic. 36. *Constit. Crimin.*  
*Carol.* in quo sermo est de lacte vero *perfetto*, genuino  
rechte vollkommenen Milch: quare ZIERITZ ad C. C. p. 33.  
c. 36. al. um Et o lactis natura recentem liquorem distin-  
guit: sed cum haec disquisitio ad *medicam cognitionem*  
pertinet, ita significantum est, nonnullos esse medicos,  
qui asserunt lac tale virginum non purum, saturatum,  
candidum & dulce esse, sed magis tenue, aquosum, e ca-  
ruleo-flavescens coloris, solsi saporis, alieni odoris,  
non consistens, at magis diffluens, adeoque *omnibus* qua-

litatibus a lacte alimento & cum infantis nutritione proximus  
 convenienter, diversum: ali contra contrarium defendunt,  
 ast in eo discrepant, quod testentur lac in viris, juveni-  
 bus & animalibus, mare non passis, bonum atque pu-  
 rum in nonnullis casibus repertum fuisse, quæ observa-  
 tio autem non fugitive & indiscretim ad innocentias virgi-  
 nes referenda est: in hisce enim rora illa atque insolita  
 laetis preparatio cum statu præternaturali & morbifco  
 Mensium, videlicet defatu coheret, ideoque huic  
 mutationi omnino aliquid morbo complicatum est, licet  
 non æque omnes tales virgines exquiste & eminenter  
 morbo afflæta & oppressæ appareant, ut ut ceteroquin  
 insolitas quasdam molestias patientur: quam ob rem hæc  
 laetis generatio morbiscom originem habens, non abso-  
 lute inculpabilis esse potest & solet; ob id in præsentí ca-  
 su upplurimum Lac prædictorum qualitatum, videlicet im-  
 purum existit, ita tamen ut inter reliquos hosce casus,  
 rarissimum tamen sit, si unquam laudabile lac in virgi-  
 nibus ob Mensium cessationem & defectum observatur.  
 Et hæc sunt, quæ quoad observationem præsentis the-  
 matis tractare & pro meliori applicatione aphorismi  
 Hippocratici limitare & interpretari placuit. Modum,  
 itaque atque finem huic labori facinus devotissima gra-  
 tiarum actione ad Summum rerum humanarum Mode-  
 ratorem & adjutorem directa pro prestito in hac opel-  
 la auxilio, quem pariter humillimis precibus flagitamus,  
 ut præsenti tractationi æque ac reliquis nostris ingenuis  
 conatibus felicem atque salutarem largiarunt  
 usum, successum &

**F I N E M.**





Nd 1257.

8°


(1712-14)


ULB Halle  
001 734 814

3



N.C.





DISSESSATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**LACTIS SUSPECTA**  
**PRÆSENTIA IN INNUPTIS,**

*ad Hippoc. Sect. V. apb. 39.*

Wie weit man sich in Criminalibus auf diese Observation  
zu berufen habe;

*Quam*

AUSPICE DEO PROPITIO,  
Et Consensu atque Autoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R A E S I D E

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**  
SACR. MAJ. REG. PORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE  
PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,  
*Domino Patrono ac Promotore suo, omnibonoris cultu prosequendo,*

PRO GRADU DOCTORIS  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DO-  
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONVENTIS

ANNO MDCCXL. D. AUGUST.

*Publicè ac placide Eruditorum ventilarioni subjiciet  
RESPONDENS*

**CHRISTIANUS MAURITIUS ENGEL,**  
ROCHLITZIO-MISNICUS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.